




Ille mihi certe gallinae filius albae,
 Ille mihi felix adolescens esse videtur,
 Qui dum mansuetas didicisse fideliter artes
 Vult, & Apollinei conscendere liminia Pindi,
 Numine praestantem reperit cupiente Ma-
 gistrum,

Quo monstrante viam veniat feliciter illuc,
 Quo tendit. Non sic licet omnibus esse beatis!
 Non licitum cunctis est hanc adiisse Corinthum.
 Sceptra jubente Deo qui post metuenda tenebant,
 Saepius optata sorte hac caruisse leguntur.
 Audax damarum venator, filius ingens
 Induperatoris Friderici, qualia passus?
 Difficili Petro datus est hominique moroso,
 Sub quo discendi fervens evanuit ardor,
 Quae res non raro peperit post mille querelas.
 Parvus ego palmam rapio TIBI, MAXIME PRINCEPS:
 Sors mea quippe TUA felicitior esse videtur.
 Qui mihi donatus per TE, DEUS OPTIME, Doctor,
 O quantum in cunctis Petro praestantior illo est?
 WEISIADES est, quem mea Musa extollit ad astra,
 Hic nil difficile est, non Orbilique molesti
 Triste supercilium, et vultus fera cuncta minantes:
 Non expers gravitatis amor dominatur in ejus
 Doctrina suavi, quae nectare dulcior Hyblae est,
 Cui non sunt tricae, cui non est hispida spina.
 Ex quibus utilitas venturo tempore surgit,
 Haec omni nobis inculcat WEISIUS hora.
 Praecipue reficit me linguae Svada disertae,
 Aurea vox, quam mens fitienti corripit aure.
 Nonne mea idcirco felicia praedico jure
 Fata, ac exclamo: Me terque quaterque beatum!
 Nonne pium ac aequum est, ut fido pectore volvam,
 Quid tot, quid tantis meritis persolvere possim?
 Hoc volvo jure, ac haec dum meditatio mentem
 Occupat, en! roseo lucem affert Cythus ore,
 Qua mihi testandae jam gratiae occasio mentis
 Nascitur. Hicce dies est, O VENERANDE MAGISTER,
 In fastis TUA quo, ceu fidus, nomina lucent.
 Huncce diem gratum (fas est) exosculor, atque
 Vlnis ambabus capto, sic ora resolvens:
 Salve grata dies, qua non mihi suavior ulla!
 Dum sic vociferor, devota immisceo vota,
 Nec non, sicut avis, quae terras sponte reliquens
 Sidera voce petit, coeli ad sublimia tecta
 Evehor, ac coeli Dominum sic oro precorque:
 Summe DEUS nostrum (votorum haec summa meorum est)
 Serva DOCTOREM, quo vix est fidior alter.
 Instaure vires, ac menti subde vigorem,
 Sisyphium felix ut possit obire laborem:
 Ipseque WEISIADAË clypeus sis, magnaue merces!
 Sic rutilare diem praesentem saepe videbit.

Hicce exiguis, cum appreciatione omnis prosperitatis,
 sincere gratulari voluit

Joh. Rudolphus Lehmannus,

Stolbergensis Mifn.



Stadtbibliothek Chemnitz



A 145192 3